






1771,39

DE  
VSV INSTRVMENTORVM  
PHYSICO - MATHEMATICORVM  
RECTE AESTIMANDO  
DISSERIT  
ATQVE  
AD AVDIENDAM  
**ORATIONEM**  
QVA  
PROFESSIONEM PHYSICES  
ORDINARIAM  
IN ACADEMIA LIPSIENSI  
CLEMENTISSIME SIBI DEMANDATAM  
DIE XXV. MAII AN. MDCCCLXXI.  
AVSPICABITVR  
OMNI QVA DECET OBSERVANTIA  
INVITAT  
**GEORGIVS GOTTLIEB HAVBOLDVS.**

---

LIPSIAE  
LITTERIS LOEPERIANIS.







Omnibus, qui doctrinae naturali, quae tentaminibus instituendis absolvitur, operam dant, cognitum perspectumque est, machinarum atque instrumentorum imprimis rationem habendam esse, sine quibus hac in re nihil possumus proficere. Per se vero patet, quo accuratiora ea sunt, maiorique diligentia a peritis artificibus elaborata, eo magis apta esse ad latentes rerum naturalium proprietates in medium proferendas. Quae enim parum accurate constructae sunt machinae, nunquam hunc usum praestare possunt, ut nobis naturae mysteria, recta, qua decet, via, manifestent, sed quaedam tantum vera, multis mixta falsis, ob oculos ponent, et nonnisi litibus ansam dabunt, quae eruditorum ingenia inter se committant, cuius rei nonnulla sunt in hac nostra disciplina exempla. \*) Nunc autem variae a variis excogitatae sunt atque perfectae machinae, vni eidemque rei demonstrandae inseruentes, quae aequae bonae esse videntur, si vero accuratius examinentur, altera certe alteri praeserenda erit. Licet enim una non plus praestare videatur altera, caussae tamen satis graues es-

a 2

se

\*) De transfluxu liquorum, si siphon impletus includatur vacuo, lis orta est, viris eruditis, qui antius minus bonis vterentur, Hunc omnino locum habere affirmantibus. Alii vero, ut HOMBERGIVS, VOLDERVS, S' GRAVESANDIVS, quibus, ut loquitur MVSSCHENBROEKIVS, maior dexteritas et meliora arma erant, aërem sub campana ad tantam exilitatem reducabant, quae hunc efficere nullo modo posset. Vid. MVSSCHENBROEKII *Orat. de methodo instituendi experimenta physica*, præmissa Tentaminibus experimentor, natural, captor. in Acad. del Cimento etc. p. 13.

se possunt, cur harum rerum peritus huius usum sibi potius concedi velit, quam alterius. Non sufficit ergo eximia habere instrumenta, quae tamen rara et non nisi paucorum priuatorum felicitas est, nec ipsae illae machinae a peritis hominibus diligentissime elaboratae tam facile, quam quis sibi persuadeat, licet magnus sumptus in eas fiat, haberri possunt, sed prudens nunc accedat usus necesse est, quo duce inter optimas eiusdem generis eas feligamus, quae nobis rei, quam examinandam nobis sumimus, naturam, facilius clariusque patefacere possint. Cui asserto ut fidem faciam, comparabo inter se eiusmodi machinas physico-mathematicas praestantissimas, quarum in splendidissimo Museo Eleitorali, quod Dresdæ est, magnus a peritissimis artificibus elaboratarum numerus afferuatur, quarumque cura milii, clementissimo iussu, per satis longum tempus demandata fuit. Claruit initio huius seculi illustris Vir T S C H I R N H A V S E N I V S, qui summo praeditus ingenio, rerumque mathematicarum, sublimioris praesertim Geometriae peritissimus, se nobilissimæ arti, quae in conficiendis catoptricis et dioptricis machinis versatur, dedit totum. Et praestitit sane in elaborandis speculis et vitris causticis insignis, et ad sua tempora inauditæ magnitudinis, id, quod omnes et exteriori et ciues admirarentur, imitaretur vero, quod vitra attinget, ad hunc diem nemo. Pleni sunt libri illius temporis effectuum stupendorum, ope harum machinarum productorum. De Speculo magno quod in Cimeliarcheo Eleitorali Dresdeni non infimum locum occupat, ita ipse loquitur: „Eius simile haec tenus confidum non est. Nam „et magnitudine ingens illud, quod Parisiis certo aere spe- „ctandum exponitur (Villetianum in mente sine dubio ha- „bet) tribus pene octauis vlnae Lipsiae exsuperat. Harum „fere tres continet arcus speculi mei maximus. Vis huius „speculi caustica eius potentiae est, ut vel Chymicis, qui- „bus

„bus tamen praecipuae cognitiae sunt ignis vires, nisi pro-  
priis oculis experimentum capiant, vix effectuum horum  
(fidem facturus sis“\*), quorum deinde longam seriem dat.  
Vera sunt omnia, quae vir cel. de hoc Instrumento, cura  
sua elaborato, narrat. Sed negari tamen non potest, illud  
tantum secundum circuli figuram paratum esse, ideoque so-  
lis radios non in tam arctum spatium cogere posse, quam si  
alia ratione ab hac diuersa, fuisse confectum. Quod no-  
stra aetate feliciter praestitit insignis Dresdensis artifex HOE-  
SIVS, specula vistoria ex laminis orichalco conflatis ador-  
nans, eximiae prorsus virtutis, negotium multum iuuante  
b. BORLACHIO, Salinarum Curatore vigilantissimo, Viro  
mechanicarum artium peritisimo, et quae eius summa laus  
fuit, Illustri KAESTNERO Goettingensis Academiae orna-  
mento, admodum probato, qui veram, quam inducere spe-  
culis suis HOESIVS formam deberet parabolicam, lubens  
communicavit, norma non vulgari modo descripta ipsi sup-  
peditata. Specula haec caustica Dresdae elaborata reliquis  
omnibus, quorum ad nos fama perlata fuit, palmam praeri-  
piunt, ne Villettiano quidem excepto, de cuius tamen praef-  
stantia magnifice sensere duumuiri celeberrimi HARTSOE-  
KERS et MVSSCHENBROEKIVS. Nam tanta eorum in  
colligendo igne solari potentia et vis est, vt eos, qui expe-  
rimentis cum iis institutis intersunt, summam in admiratio-  
nen rapiant, et illud, quod Eleitoribus instrumentis an-  
numeratur, mirum quantum superat Tschirnhausenianum.  
Sed ad vitra causticae magnitudinis (nam quorun-  
dam diameter trium quatuorue pedum fuit) redeamus.  
Haec inter sine dubio illud primum obtinet locum, quod a  
Duce Aurelianensi PHILIPPO emtum, cuiusque vſus cel.  
HOMBERGIO concessum fuit. Ast non solum maximaee il-  
lae lentes, sed eae quoque, quarum chorda duos pedes cir-

a 3

citer

\* ) Vid. AG. Erudit. Lips. A. 1687, mens. Ian. pag. 52. seq.

citer aequat, qualis est quae Museum Electorale ornat, incredibilia efficiunt, si alia lens minor, collectiuam vocant, quae in angustius adhuc spatium coagmentatos iam radios solis cogit, adhibeatur. Quaestio nunc oritur, quibus machinis in soluendis ignis vi corporibus potius vtendum sit, speculis an vitris? Specula sine dubio vehementiorem ignem, et minori quoque tempore excitant; at tanta est horum effectuum sese momento sequentium celeritas, ut in iis nihil distinguere possis. Haec autem praecipue ipsis haeret difficultas, quod corpora, quae in ipsorum foco solis radiis funduntur, labuntur, neque pro lubito in foco retineri, circa fluida vero, vel prorsus nulla, vel incerta tantum tentamina instituti possint. Et licet variae methodi a CASSINO traditae fuerint \*), quibus radii dirigantur in corpora deorsum posita, ita tamen comparatae sunt, ut semper vim machinae debilitent multum, modisque ille, quem HOESIVS excoxitauit, incommodo quoque non caret, quoniam solis radii a speculo plano excepti, iterumque in causticum, quod terram versus inclinatur, incidentes, magnam iacturam, tam ratione copiae radiorum (multi enim pereunt) quam directionis, quac certe non eadem manet, patiuntur. Sed alter se res habet cum vitris, quorum collectionis punctum, quod focum appellant, in corpora, quae crucibulis, patinis vel carbonibus imposita sunt, directe cadit, quo facto omnes, quos ignis solaris producit effectus, satis distincte, ea tamen cautione, ut vitro colore nigro inducto, ad obseruandā haec effecta utaris, ne lucis intensitas, quae eo in loco maxima est,

\* ) Hist. de l' Acad. des Scienc. Année 1747. p. 25. Auctoꝝ est cas-  
sius radios a speculo magno replicatos in paruo speculo ex-  
cipere, cuius ope deinde variis cum obliquitatibus in corpora  
dirigi possint, aut etiam loco speculi plani concavum, parabo-  
licum vel hyperbolicum adhibere, quae vero res multum dif-  
ficultatis habet.

est, oculis damnum adferat, obseruare licet. Quod vero eorum vim vrendi attinet, nullum corpus ad hunc diem repertiri potuit, quod coelesti igni lentibus nostris collecto, resistere potuisset. Praeclara sunt Hombergiana experimenta, et talia quae ab experientissimo Chemico expecces; sed longe elegantiora et rariora, ut mihi quidem videtur, Florentiae aliquando auspiciis magni DUCIS ETRURIAE A 10 S. AVERANO Legum ciuilium in Academia Piforum Professore cel. capta sunt. \*) Experimenta in primis in gemmis, lapidibus duris multisque aliis corporibus instituit. Vitrum, cuius ope effecta haec producta sunt e Tschirnhausenianis, et excellentibus, sed non maximis fuit, ab homine Germano BENEDICTO BREGENS in Italiam adiectum \*\*). - AVERANVS cum socio CYPRIANO TARGIONI, Medico doctissimo summa cura et ad minima quoque, quae circumstant, mentis acumine adhibito, ita in hoc negotio versatus est, ut nihil amplius desiderari posse videatur. Qui haec loc. cit. vberius descripta legerit attentius, quae certe legi merentur, quique ipse usum aliquem speculorum et vitrorum causticorum habet, non amplius dubitabit num vitra speculis praferenda sint. Accedit adhuc aliud, quod vitris primas dat partes. Specula, quoniam metallo conflata sunt, per aliquod temporis interuallum solidi exposita vigorem suum amittunt. Siue id fiat hac de caus-

fa,

\*) Inueniuntur haec obseruata in *Giornale de' Letterati d'Italia* Tomo VIII. Anno 1711. Articolo 9. p. 221 seqq. sub titulo: *Espereienze fatte con lo specchio uslorio di Firenze sopra le Gemme e le pietre dure.*

\*\*) De quo viro haec referuntur: *Si giudica per molti, che possa essere scolare ed allievo del dottissimo TSCHIRNHAUS — Fu lasciato lo Specchio al Serenissimo Granduce, dal Sgr. BENED. BREGENS di Dresden, uomo molto intendente ed esperto nelle matematiche discipline.* *Giornale de' Lett. d' Italia, Tom. VIII. p. 224.*

sa, quod pori materiae, qua constant, dilatentur et ampliores fiant, sive superficies hoc ipso elasticitatis suae partem quandam amittat, quod utrumque M V S S C H E N B R O E K I O vero videtur simile, et omnino magnam vim habet ad infringendos effectus; mutatio tamen aliqua quoque formae, secundum quam elaboratum fuit speculum, ex concepto nimio calore oriatur necesse est; et licet illa sensibus non patet, radios tamen solis non in tam arctum orbem, ut antea, instrumentum coget. Quam facile enim in machina tantae amplitudinis vera figura inflecti possit, iis, qui has curatius elaborant, aut harum rerum intelligentes sunt, notissimum est. Cum vero vitra, ob maiorem massae, quam continent, quantitatem, quae aetu solis non tam facile afficitur, diutiusque resistit, eiusmodi mutationi minus obnoxia sint, ideo quoque magis apta esse videntur ad res naturales omni tempore, quo solis vsus nobis conceditur, explorandas.

Nunc ad Antlias pneumaticas, quae vocantur, progedior. Multas fane utilissimum hoc organum inde a GVERICKII primi inuentoris, aetate ad nostra usque tempora vicissitudines expertum est, variasque induit formas, quoniam Viri magnò ingenio praediti BOYLEVS, SENGVERDIVS, HAVKSBEIVS et alii summo studio in id elaborarunt, ut machinam ad perfectionis gradum, quem adipisci posset, perducerent. Hauksbeii antliam insigniter emendauit LIEBERKVEHNIVS. Vir hic illustris peculiari artificio antliam suam, Hauksbeianae alias perfecte similem, ita instruxit, ut valulas, quae in emboli capite alias latent, plane omitteret, singulari emboli structura efficiendo, ut aer exhaustus in cylindro compressione agitatus, viam exeundi quaerat inueniatque licet difficulter. Elegantissima ad mentem viri experientissimi elaborata eiusmodi machina Musei Electoralis Dresdensis magnum est ornamentum, egregiosque praestat usus. Dedit nouam nostra aetate antliam NOLLETIVS, cuius

cuius structura re ipsa non multum a Senguerdiana differt,  
 quam LEVOLDVS, Lipsiensis Mechanicus saepius imitatus  
 est, nisi quod in Nolletiana cylindrus ad perpendiculum  
 positus sit, cuius mutationis quasdam adducit rationes,  
 quae vero rerum harum peritis non admodum sese proba-  
 runt. Hoc vero negari non potest, agitationem emboii  
 in hac machina rem esse valde difficilem et operosam, vi-  
 resque hominis hunc in se sufficiens laborem, vix ad bre-  
 ue temporis spatium sufficeret. Machina ipsa quoque non  
 satis firmo nititur tali, et facile, si post aliquot agitationes  
 embolus attollitur, loco mouetur, quod periculo non ca-  
 ret. Nouissime SMEATONVS, peritus in Anglia instru-  
 mentorum artifex, antliam construxit, omnium, ut volunt,  
 perfectissimam. Loco vnius valuulae (habet enim vnum  
 cylindrum tantum) septem eiusdem magnitudinis forami-  
 na sexangularia sic componit, ut circa vnum, tanquam com-  
 mune centrum sex alia circumfisa sint, atque vesicam susten-  
 tent. Hac ratione vis exigua par est aperienda valuulae  
 compositae, nec propter reliquam machinae structuram  
 metuendum est, ne aëris pressione externi vesica haec ma-  
 jorisi diametri disrumpatur. Et quod praecipuum est, aëris  
 ope huius machinae, ad tantam exilitatem reduci potest, ut  
 mille vicibus rarior fiat, cum optimae antliae valuulis in-  
 structae hunc centum et quadraginta vicibus tantum rario-  
 rem efficere potuerint. Tanta vero rarefactio non semper  
 effici potest. Negandum non est machinam valde inge-  
 niose excogitatam, insignisque usus esse, sed constructio  
 eius difficilior, et quoniam tam multis partibus constat,  
 mutationibus, quibus hae machinae reliquis magis subiectae  
 sunt, locum relinquunt. Neque hoc in virtutibus eius po-  
 fuerim, quod simul aëri comprimento inferuire queat, quod  
 nunquam efficitur, nisi vis quaedam instrumento ipsi vna  
 vel altera ratione inferatur. Et multo praestantius est par-

varum antliarum ope aërem in angustius spatum cogere, quod HAVKSBEIVS, DESAGVLIERS ET NOLLETIVS fecere, quam vnam eandemque machinam ad operationes oppositas inter se adhibere. Quae ergo inter varia antliarum genera reliquis praferenda machina erit? Fateor, me semper in ea fuisse opinione, atque nunc etiam esse, illas antliarum species, quae valuulis prorsus carent, optimas esse, quoniam nulla potestas vel vis aëris ad vesicam supra gulam tensam attollendam requiritur. Et Leupoldiana antlia, quam Museum Electorale possidet, tanta diligentia et cura elaborata est, et leui emboli emendatione et mutatione facta iam ea praefstat, quae ab Hauksbeiana et ab aliis eiusdem structurae machinis, frustra expectes. Qui effectus longe maiores essent futuri, si cauitas epistomii quod dicunt, cylindri fundum quasi attingeret, quod recte vidit NOLLETIVS, neglexit LEVPOLDVS et alii, siveque hae antliae epistomio instructae parum Smeatonianae forsitan cederent, neque difficulter encheires quadam illud, quod tantum applausum ipsi meruit, quod nempe pressio aëris exterioris in embolum nullam vim habet, his quoque machinis addi posset. Hoc certissimum est, simplicissimae constructionis has machinas esse, et si quid ipsis accidat, quod illarum rectum usum ad tempus inhibeat, quod saepe in his organis sit, facillimo negotio locus, ubi vitium in instrumento haeret, inueniri potest, quod longe secus est in antiis, quae valuulis instructae sunt.

Barometrorum magna nostris diebus celebritas est, usque ad res tam varias et ad nostram aetatem obscuras eruendas vtuntur naturae scrutatores, ut de eorum optimo genere determinando labor non superuacaneus videatur. In confessu est apud rerum peritos tubum Torricellianum optimum esse barometrum, quod respectu ad alia magis composita habito, simplex appellant. Verum eiusmo-  
di

di barometrum conficiendi modum tradidit Cel. M V S S C H E N -  
B R O E K I V S in *Dissertationibus Physico-Geometricis* pag. 681.  
repetitque nonnulla addendo in *Introduzione in Philosophiam naturalem*, Tom. II. p. 850. seqq. Edit. nouiss. Quo rite  
confecto, nulla lux in vacuo illo Torricelliano mercurii  
agitatione apparebit, quae semper indicium aëris residui  
est. Hic vero recentiores Physici a se inuicem dissentient.  
Abbas CHAPPE D'AVTEROCHE totus in eo fuit, vt figuram  
telluris ex diuersis huius instrumenti altitudinibus, in variis et  
valde diffitis a se inuicem locis, obseruatis determinaret, ba-  
rometrisque ad hanc rem usus est vasculo instructis. Quae  
res minime arridet Cel. DE LVC, qui potius barometro eo,  
quod simplici tubo recurvo constat ad capienda haec expe-  
rimenta utendum esse pugnat, vasculis, ob rationes, ut mi-  
hi quidem videtur, non satis graues reiectis. Interim fa-  
tendum est egregium illum virum, difficillimum hoc nego-  
tium summa cura et circumspetione tractasse, eiusque baro-  
metrum, quod tubulo simplici constat recurvo omnino mi-  
nori periculo de loco in locum transferri posse, quam ea,  
quae mercurii copia abundant. Haec vero, quae secun-  
dum Torricellii mentem constructa sunt, pretio suo mini-  
me carent, contra ea ad subitaneas variationes atmosphae-  
rae manifestandas aptissima, mobilissimaque sunt, quoniam  
tubos maioris diametri ad haec construenda adhibere sole-  
mus, in quos attractionis vis tanta non est, quam quidem  
in illis, qui minori diametro gaudent. Nec ego quoque,  
quod vulgo fieri solet, usum barometrorum duplicitum vel  
compositorum, quae H V G E N I V M summum Virum aucto-  
rem habent, \*) in cognoscenda atmosphaerae grauitate re-  
iicerem, si modo a peritis artificibus elaborata fuerint illa.  
Longus enim usus comparatioque frequens cum optimis  
Torricellianis hoc mihi plane persuasit, perpetuam inter ea

\*) Huius fabricam descriptis in *Journal des Savans Année 1672. p. 137.*

harmoniam intercedere posse, et in minimis atmosphaerae variationibus indicandis Hugeniana singulare quid habent, quod alia, licet artificio illo, quod a N O N I O nomen habet, minimasque diuisionis partes ostendit vitroque conuexo ad mercurii locum accuratius determinandum instructa sint, non assequuntur. Non eadem mihi de C A R T E S I I barometro sedet sententia, quod nunquam ad aliquem perfectio-  
nis gradum propter magnam aëris aquae semper inhaerentis copiam perduci potest.

Inter thermometra ea, quae mercurio onusta sunt iure meritoque praeferimus iis, quae liquido spirituoso aut oleo impleta sunt. Praesupponimus tubulos eorum perfe-  
cte cylindricos, et hoc, examine facto, liquido constare, duoque puncta, congelationis alterum, alterum ebullientis aquae recte in iis notata esse. Quod scalam, quam vocant, attinet, perinde est, siue Fahrenheitiana, siue Delisiana, siue Celsiana, siue Christiniana, siue alia instructa sint, licet valde optandum esset, diuersos illos gradus numerandi modos, qui nonnisi errores nonnunquam pariunt, uno tan-  
tum, Fahrenheitiano forsitan, vbiuis ab eruditis hominibus re-  
tentio, sensim sensimque abrogari posse. Interim tamen ea, quae propter exilitatem tubuli et globi satis adhuc mobilia sunt, recte praeferuntur iis, quae maiori mercurii copia abundant, quoniam haec non tam subito caloris vicissitudines indicare possunt. Paruorum horum thermometrorum auctor est Vir celeberr. quem supra iam laudauimus, LIEBERKUEN-  
NIVS, qui iis in primis in re medica utebatur. Et licet den-  
tur thermometra mercurialia valde mobilia, non tamen suf-  
ficiunt ad electricitatis calorem indicandum, uti recte NOL-  
LETIVS, tentamine capto, animaduertit.\* ) Alio igitur  
apparatu opus erit, qui nobis hoc ob oculos ponat. Et  
inuentum est eiusmodi thermometrum a Viro peritissimo

KIN-

\* ) *Leçons de Physique Tom. VI. pag. 264. Edit. de Paris 1764. 8.*

KINNERSLEY in America, quod rem clare demonstrat, Franklin felici illo naturae interprete, calculo suo inuen-  
tum approbante in *Experiments and Observations on Electricity etc.* by Benj. Franklin. p. 389. seq. Pyrometra id praef-  
stant, quod thermometra non possunt, hoc est maiorem  
caloris gradum perferunt et monstrant. Vfus huius ma-  
chiae circa metalla eoruimque expansionem per calorem,  
contractionem vero per frigoris vim, licet admodum ex-  
igua sint hae mutationes, versatur. Primus eiusmodi ma-  
chinam cum publico communicavit M V S S C H E N B R O E K I V S,  
quam deinde in nonnullis emendauit NOLLETIVS vel potius  
nouum a se excogitatum dedit instrumentum. Sed duabus  
his machinis nondum gradus caloris, quem conceperant  
metalla, certo indicabatur. Flammis ex rostris lampadis  
incensis corpora calefiunt ad lubitum, oxyus, lentius. Sic  
numeris flammarum pro regula est, quod quam lubri-  
cum sit, facile patet. Recte igitur ELLICOTVS, insignis  
artifex anglicanus has machinas emendauit, fulcrum iis  
adaptando, cui metalla vel res explorandae possent impo-  
ni. Hoc fulcrum vi ignis flammis excitati certum caloris  
gradum concipit, quem accurate monstrat index. Fulcro  
ita calefacto imponitur res exploranda, quae nullo alio ca-  
lore, nisi eo, quem sustentaculum ipsi communicat, vrgetur,  
quemque alias index accuratissime ostendit. Hoc inuen-  
tum multa laude dignum est. Et ea Pyrometri species,  
quam S M E A T O N V S \*\*), de quo nobis sermo iam fuit, post  
Ellicoti instrumentum in Commentariis Soc. Reg. Angl.  
publicauit, ab hoc in eo differt tantum, quod sit maioris am-  
plitudinis, et ad maiora corpora experimentis subiicien-  
da apta.

b 3

Nunc

\*) Vid. *The Abridgment of the Philosophical Transactions Vol VIII.*

Part. 2. p. 464.

\*\*) Philosophical Transactions, Vol. XLVIII. Part. II. p. 292.  
Edit. Viteb.

Nunc ad Telescopia veniamus. Duo eorum genera esse et catadioptrica et dioptrica notissimum est. Catadioptrica iterum vel Newtoniana sunt, vel Gregoriana. \*) IOANNES HADLEY Societatis Regiae Praeses vicarius primus Newtonianum telescopium praestantissimum sex pedum incredibili labore et studio ipse confecit, et hoc perfecto ad Gregorianum se conuertit, quod simili modo et non minori diligentia et cura construxit, ac utriusque artificium edocuit Scarletum eiusque filium. Omnia vero, qui in talibus elaborandis operam collocauerunt suam in Britannia, facile princeps fuit SHORTVS, qui haec instrumenta, ad summum, qui ab humana industria proficiisci potest, perfectionis apicem perduxit. Obitus incomparabilis Viri maximam opticae disciplinae iacturam attulit non facile resarcendam, quod ipsi Angli fatentur.

Dioptricas machinas multum promovit egregium inuentum DOLLONDI, qui ex duobus vitris diuersae massae praestantissimas lentes obiectivas construxit, quae radiorum lucis refrangibilitatis plane immunes esse dicuntur. Et est omnino corum usus prorsus insignis, si materia vitrorum purissima, et vitra ipsa diligentissime elaborata sint. Interim tamen lentes obiectivae a CAMPANO, HUGENIO, aliisque peritissimis artificibus elaboratae, iure meritoque apud rerum harum intelligentes magno in pretio sunt perpetuoque erunt, quibus admiranda in coelis detecta debemus fere omnia. DOLLONDI vitra, ob magnam, quam admittunt aperturam, quae ipsis propria est, lucis abundantia gaudent, sed ea ad observationes coelestes opus non admodum habemus, saepissimeque illa documento est; nec semper ea proprietas, quae achromaticorum nomen ipsis meruit, illis reipsa competit, for-

si-

\*) Lectu iucundissimae sunt, quae super hoc argumento scriptae sunt litterae amoebaeae IAC. GREGORII ET NEVTONI. Vid. Dr. Gregory's Elements of Catoptriks and Dioptriks, Lond. 1735, 8. p. 259. seqq.

sitanque per naturam competere non potest, vt summus Vir  
MASKELYNE, Reg. Britanniae Astronomus non ita pridem ostendit. Interim tamen concedo Dollondiana telescopia ad in-  
tuenda terrestria obiecta maximo cum fructu adhiberi. Cum-  
que multo contractiora sint vulgaribus telescopiis, multa faci-  
litate ad obseruationes coelestes peragendas adhibentur, quae  
res in negotio per se satis difficulti magni momenti est.

Per microscopia corporum moles ita augetur, vt te-  
nuissima corpuscula, quae oculi nudi vires effugient, nitidissime conspiciantur. Simplicibus, quae vocantur, magis  
vsi sunt LEEVWENHOEKIVS et LIEBERKVEHNIVS, quam com-  
positis, aliisque, qui in nouis detegendis operam ponere vel-  
lent, idem faciendum esse praeceperunt. Nam licet micro-  
scopia, quae tribus vitris constant, maiorem rerum inspi-  
ciendarum campum fstant, oritur tamen ex nimia lucis af-  
fluentia confusio colorum, umbrae, et totius textus alia et  
a vera diuersa imago. Quam subtiliter in hoc negotio ver-  
sandum sit, optime docuit Eq. IAVCOVRIVS, (dans l'Ency-  
clopediae Tom. X. p. 493.) Et sane tanta, vt hoc utar, BVF-  
FONII, NEEDHAMI, SPALLANZANII, BONNETI de animalibus sper-  
maticis opinionum varietas, non aliunde forsitan, quam a  
microscopiis compostis, eorumque usu minus commodo,  
originem trahit.

Plura de aliis machinis earumque usu recte aestimando  
addi possent, sed modus tenendus, et ad ea mihi potius ve-  
niendum est, quae huic disputationi occasionem dedere. Di-  
uina annuente clementia, et Serenissimi ac Celsissimi Prin-  
cipis ac Domini, Domini

## FRIDERICI AVGUSTI

PATRIS PATRIAE LONGE CLEMENTISSIMI indulgen-  
tia, quam plenissimam semper expertus sum, accidit, vt in  
celeberrimam hanc Academiam missus fuerim, qui munus

Phy-



Physicam ordinarie docendi pro viribus obirem. Quam SVM-MI PRINCIPIS, ad scientiarum artiumque fines vterius promouendos felicissime nati, munificentiam plane singularem si pientissima mente veneror, gratiasque, quas animo concipere possum maximas; pro ea humillime ago, facio quidem quod debo maxime et possum, et facio lubentissime; quod vero magnitudo beneficii in me indulgentissime collati, cura in primis Instrumentorum Electoralium ad Physicam et Mathematicam pertinentium mihi in posterum quoque clementissimo iussu continuata et demandata, a me exigit, hoc verbis facere nullo modo possum. Non alio igitur cultu obsequioque tantam benignitatem prosequi mihi licet, quam ut ardentissima vota pro salute perpetua et vita prolixa PRINCIPIS INCOMPARABILIS, Domus Electoralis incremento, et Regni felicitate deuotissime persoluam. Simulque, quod officii ratio a me postulat, Academiae nostrae incolumentem et florem precabor, eique solemni formula me addicam. Quae omnia sicut oratione, qua de nonis inuentis ad perficiendam physicam doctrinam pertinentibus exponendo, munus clementissime mihi demandatum, more maiorum, auspicabor. Ad quam orationem, proximo die Saturni hora ix. beneuelle audiendum, MAGNIFICVM ACADEMIAE RECTOREM, ILLVSTRISSIMOS COMITES, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROGERES GRAVISSIMOS, GENEROSISSIMOS, CLARISSIMOS ET NOBILISSIMOS ACADEMIAE CIVES, officiosissime cupio inuitatos. p. p. d. 23  
Maii A. C. N. MDCCCLXXI.







**ULB Halle**  
008 558 760

3



1078



1771,39

DE

VSV INSTRVMEN TORVM  
PHYSICO - MATHEMATICORVM  
RECTE AESTIMANDO

DISSERIT

ATQVE

AD AVDIENDAM

O R A T I O N E M

Q V A

PROFESSIONEM PHYSICES  
ORDINARIAM

